

Y b
1750



Q.K.



G.K. 12417

5756

Yb
1750

NEGOTIOSVS
IN OTIO
SCHOLASTICVS
GOTHANVS.



NEGOTIOSVS
IN QVO
SCIENTIFICVS
COLLEGIVS





- I. Otii damna. II. Feriata scholarum interualla ab illis prohibenda:
III. prohibita in schola Gotbana. IV. De rectis huius studiis consul-
tatio sermonum publicorum argumentum: oratorum singulorum no-
mina. & dicendorum summa. V. Ad eam inuitati GYMNASII PA-
TRONI.



I.

On vitiorum solum; sed criminum
maximorum, adulteriorum, & parricidiorum causam otium esse, illustri-
oribus exemplis constat, non decan-
tati solum Ægisthi; sed Dauidis etiam,
aduersus omnes alias illecebras, & vi-
tiositatis lenocinia diuini luminis, & spiritus praesidiis satis
obfirmati. Perpetuum malum istud est mortalium omni-
um; eorum autem inprimis, quos non res domi angusta,
& mendicitatis metus cogit ad operas agrestes. Ex quo
hominum genere quotquot litterarum studia profitentur,
ipsi suo nomini repugnare videntur, si otio voluerint in-
dulgere, & ad hoc oblectandum arripere res alienas ab
instituto suo, & bonae mentis cultui contrarias. Neque
enim studiosus sapientiae recte dicitur, & genuinus litte-
rarium ludorum cultor, qui otium sectatur, & ludicra
oculorum, & aurium oblectamenta; ventri, & gulae natum
se putat, nec religioni sibi ducit vitam per ludum & iocum
transigere. Conscius sui officii litterator religiosus, atque
animo reputans, quibus muneribus, & exercitiis conti-
neatur studium sapientiae & consequendae, & vsurpandae,
facile animaduertet, nullum sibi tempus otio transmit-

X 2

ten-



tendum superesse. Sapiendi magister non vltimus, Iacobus (†), diserte praescripsit, temporum etiam vicissitudines quemadmodum transigendae sint, ne, si casus aliquis quotidiani operis vacationem imperauerit, otio inertis, & desidiosus torpere videamur: rebus nimirum in aduersis precibus: in secundis hymnis vacare ille voluit suos alumnos. Sicut autem in actu rerum versari oportet, quibus bonae mentis cura, culturaque cordi est: ita qui corpore valere velint, tam caebunt ne cessatione torpeant, quam ne fragantur laboribus immodicis.

II.

Liquet inde, quae scholasticarum feriarum ratio esse debeat, dum caniculares dies, & cereales operae otia faciunt, & vacationem muneris scholastici docentibus, discipulisque concedunt, ne feriata ista interualla, & relaxata quotidiani operis lege intercapedo laborum procliui ab his ad libidinem iuuentuti fraudi sint; praesertim dum non desunt, quae desidia lenocinentur: tam falsus, quam vulgo conceptus metus fideris, ingenii culturae infesti: dominata in plerisque scholis consuetudinis deprauatio: concessus in iudiciis aliquis feriandi ritus: honesta laxamenti species, maxime in *ILLVSTRI* schola Gothana, ubi cumulant, asperantque labores extracta per duas hebdomadas antegressae lustrationis anniuerariae solennia, quibus defuncti Gothani magistri, & discipuli alternam requiem iure deposcere sibi videntur: & illi quidem, ut sibi, tanquam exteris, liberum spatium redeundi ad suos, & salutandi amicos concedatur exteros; hi, ut de supellectile litteraria, & vestiaria cum suis deliberandi: vtrisque ut corporis curandi, vel rusticandi liberior detur facultas. In his tamen *otius* ut *negotiosi* sint *Gothani scholastici*, praecepto-

(†) Ep. V. 14.

ptores, & discipuli, non Ernestinae solum pietatis instituta iubent; sed summa etiam suadet ratio.

III.

Dudum itaque alternis publice docent supremi ordinis praeceptores Gothani; sed diuersi ordinis in vnum coetum congregatos alumnos. Ita necessaria curandi reliquis non deest occasio; nec tamen est vnquam cessatio scholasticarum operarum. Publica pietatis exercitia, quae enarrandis diuinis litteris, precando, & canendo peraguntur, aequae ac litteraria non minus inter cereales ferias, quam toto anni tempore, continuantur. Priuatim sacri codicis, Hebraice, Graece, Latine, Gallice, nonnunquam Arabice, & Syriace legendi datur occasio diligentioribus, & sanctioris litteraturae cupidis discipulis: quibus simul istarum linguarum fundamenta grammatica inculcantur. Iisdem non minus, quam ciuilibus doctrinae studiosis, demonstratur certis feriarum diebus litterarum apparatus vniuersus, quotidie autem monumenta scriptorum veterum omnis generis; in primis autem historicorum, proponuntur noscenda, peruestiganda, imitanda. Prouectioribus aetate, & progressibus litterarum Hugonis Grotii praeclarum opus de *iure belli, & pacis*, totum refertum veterum scriptorum erudite, & sapienter, nec non ad ciuilibus vitae usum accommodate dictis: vnde mature commoda, & modum legendorum veterum autorum animaduertere possunt, ac solida ciuilibus doctrinae, & iuris vniuersi percipere fundamenta adhuc scholastici, & veterum scripta tractantes ex instituto: praeslegitur & explicatur, pensa autem praelecta disputando excutiuntur. Carminis etiam Latini, & Germanici conficiendi ratio certis horis demonstratur, & a discipulis specimina exiguntur, & emendantur. Nec fere su-

pereſt totius diei hora, quae durantibus cerealibus feriis non occupetur vtili opere litterario: idque non ſolum magiſtrorum; ſed & veteranorum alumnorum opera & ſtudio, qui tironibus adhuc rudibus ſuis, quae cuique affignantur, horis Hebraici, & Græci ſermonis, nec non Latini, & Germanici carminis rudimenta inculcant, & Iuſtini explicant hiftoricum opus. Inter hos non deſunt botanicae rei ſtudioſi, qui commilitonibus valetudinis cauſſa in vicinas ſylvas, vel ad ſuburbana arua, & prata excurrentibus duces, & autores eſſe poſſunt in herbis noſcendis, diſtinguendis, colligendis: quo & in hoc otio ad corporis curam concefſo, neceſſarioque, animo, & ingenio negotioſus fit ſcholaſticus Gothanus.

IV.

Cuius generis conſultatio dum non aliena videtur a celebrandis finiendae luſtrationis ILLVSTRIS GYMNAſII ſolennibus, non longe abhorrentes ab inſtituto ſermones habere iuſſi ſunt, qui in panegyri vellent audiri, tres patricii alumni CLASIS SELECTÆ, ſupremi ordinis, ex quo ad academias dimittuntur, quotquot ILLVSTRIS PROTOSYNEDRII iudicio ad altiora tractanda ſatis habiles, & idonei pronuntiabuntur, videlicet

GEORGIVS HEINRICVVS HESSE,
IOANNES DANIEL STOPFFEL,
IOANNES ERNEſTVS WENIG:

qui, quam pie, quam caute, quam diligenter in ſacrarum & profanarum litterarum monumentis verſandum ſit, & quam illarum inprimis ſtudium ILLVSTRIS ſcholae Gothanae alumnis ex ERNEſTINO inſtituto cordi eſſe oporteat, publice ſunt demonſtraturi.

PRI-

PRIMVS

de

Vsae lae, & lapsu

dicturus ostendet sub hoc exemplo, quam facile ad praua studia auferri possint rectius, & religiosius instituti, deterrebitque discessuros secum ad academias commilitones a corruptelis morum, & tam turpi, quam solenni nouitiis academicis consuetudine palam soluendi mores, & cum disciplinae scholasticae iugo boni factique moris studium abiiciendi.

ALTER

de

cauta Taciti lectione

ita dicet, vt ostendat, quam caute, & religiose legendi sint optimae etiam notae scriptores, si sensum, spiritumque Christi retinere voluerimus: documento esse huius rei Tacitum, tantum in diuinis rebus mendacem, quantus ad ciuilia studia, & rite tractanda reipublicae munera dux & autor creditur, contemnentem DEI populum, gentem Iudaicam, eius celebritatem fastidiose explodentem, & falsissimis commentis peruertentem veras eius origines.

POSTREMVS

de

ERNESTI PII instituto, quo ecclesiasticae historiae compendium, ita dictum, GOTHANVM publici iuris, & vsus fecit,

differet, huiusque operis autores, pretium, & vsus demonstrabit, commilitonesque dehortabitur a vecordia, & improbo

bo

bo confilio tractatum hunc in schola autorem in aditu academi-
arum abiiciendi.

V.

Cui de rectoribus studiis consultationi ut frequentes
interesse, pia consilia publice pronunciata sua autoritate,
& nutu approbare; hoc pacto autem eorum alumnorum,
cuium non minus, quam exterorum, qui in otio cereali
pie, & solerter negotiosi esse voluerint, destinata sua
suffragatione confirmare: atque ad hoc

in auditorio CLASSIS. I.

*cras hora VII. ante meridiem congregari
ne grauentur,*

ILLVSTRIS GYMNASII
PATRONOS ET FAVTORES,


obseruantissime rogat

RECTOR,

GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P.P.XIII. Augusti MDCCXIX.

LITTERIS REYHERIANIS.



Pou yb- 1750, QK

VD18

ULB Halle

3

003 492 044



sb






5756

Yb
1750

G.K. 12414

NEGOTIOSVS
IN OTIO
SCHOLASTICVS
GOTHANVS.



Farbkarte #13

B.I.G.

